

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 221109c

Wednesday 09.11.2022

Letter to the Special Envoy to the celebration of the 18th National Eucharistic Congress of Brazil (Archdiocese of Olinda and Recife, 11 to 15 November 2022)

On 10 September 2022, the Holy Father appointed His Eminence Cardinal António Augusto dos Santos Marto, bishop emeritus of Leiria-Fátima, as his special envoy to the celebration of the 18th National Eucharistic Congress of Brazil, to be held in the archdiocese of Olinda and Recife from 11 to 15 November 2022.

The special envoy will be accompanied by a pontifical mission composed of the following ecclesiastics:

Reverend Augusto César Figueirôa, rector of the *Santa Teresinha* Oratory, vice-chancellor of the Curia and Master of Ceremonies;

The Reverend Fra' José Leandro Alencar, O.C., parish priest of the parish of *Nossa Senhora da Piedade*.

The following is the Holy Father's letter to His Eminence Cardinal António Augusto dos Santos Marto:

Letter of the Holy Father

Venerabili Fratri Nostro
ANTONIO AUGUSTO S.R.E. Card. DOS SANTOS MARTO
Episcopo emerito Leiriensi – Fatimensi

Cum exultatione et simplicitate cordis in fractione panis communicemus et orationibus (cfr Act 2, 46), in doctrina Apostolorum perseverantes, ut, quo venerabili mysterio enutriti, humanum genus, quod continet orbis unus, una fides illuminet et caritas coniungat una (cfr Missale Romanum, praefatio II de SS.ma Eucharistia), et, qui Christi humanam redemptionem in sacramentorum signis annuntiamus fidenter, eiusdem salutis experiri valeamus augmentum.

Quo in Deo sustentati redemptionis pignore, in universae Ecclesiae necessitatum studium incumbentes, valde laetamur de XVIII Congressu Eucharistico Nationali a die XI ad diem XV mensis Novembris in Brasilia celebrando, postquam in biennium angustiarum publicae salutis causa delatus est. Tantam proinde recolentes occasionem, Venerabilis Fratris Antonii Ferdinandi Saburido, O.S.B., Archiepiscopi Metropolitanae Olindensis et Recifensis, humanissimae petitioni libenter concedere volumus, qui enixe postulavit, ut haec adunatio perfrui possit praesentia ac verbo alicuius Eminentissimi Viri, qui Nostras vices ibi gerat Nostramque erga conventam communitatem manifestet dilectionem.

Ad Te ergo, Venerabilis Frater Noster, mentem Nostram convertimus, qui historicas necessitudines tempore primae evangelizationis Brasiliae et adiuncta culturalia et socialia admodum comperis, ut hodie peraptus videaris, qui, Nostras vices ibi gerens, erga dilectissimum istum concursum proximitatem Nostram manifestes, praesentia ac verbo Tuo hunc Coetum exornans. Te, proinde, ad hanc legationem obeundam elegimus et, hisce Litteris, **MISSUM EXTRAORDINARIUM** Nostrum nominamus ad XVIII Congressum Eucharisticum Nationalem Brasiliae, qui inter dies XI et XV mensis Novembris proxime venturi in civitatibus Olindensi et Recifensi celebrabitur.

Libenter Tibi potestatem facimus, dum insigni eidem occasioni intereris, illum Coetum, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro nomine salutandi ac benedicendi, quos cohorteris, ut, beata Virgine Maria pacis Principis Matre spiritum caritatis et donum unitatis dispensante, omnes ad Christum pervenire valeamus et, eiusdem consummantem praecepta, qui unanimiter frangimus panem et sumimus cibum, simus etiam pariter, dividentes prout unicuique opus est (cfr Act 2, 45-46). Simul, insuper, gravissimum Nostrum ministerium Petrinum precibus committimus universo Coetui ibi congregato.

Dum Tibi, Venerabilis Frater Noster, Benedictionem impertimur omnibus, qui celebrationi aderunt, transmittendam, legationem Tuam ardentibus precibus comitamur, a Deo misericordiae suppliciter obsecrantes, ut de huius Conventus navitate multiplices fructus carpant fideles.

Datum Romae, Laterani, die VII mensis Novembris, anno Domini MMXXII, Pontificatus Nostri decimo.

FRANCISCUS
